



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
praxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Quæstio 10. Quænam causæ Parochum à residendo excusent?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

QUÆSTIO VIII.

Parochi tenentur ad Residentiam juxta Trid. Sess. 23. cap. 1. de reform. Quæritur, an qui tenentem habet Parochiam, aut si in ea habitent tantum tres, quatuor, aut paucissimæ personæ, teneatur etiam ad Residentiam?

Respondeo in utroque casu affirmativè. Quia tenuitas, aut personarum paucitas non tollit curam officio annexam, idque de secundo casu declaravit Congreg. Cardinalium apud Garciam de Benef. part. 3. cap. 2. num. 179.

QUÆSTIO IX.

Si Parochus habeat duas Ecclesias unitas, quæritur, utra erit in qua debeat residere?

Respondeo, teneri residere in Ecclesia digniori: quod si dubitetur quæ sit dignior, residendum est in ea quæ populum habet frequentionem: si autem una sit Ecclesia intra, & altera extra urbem, oportet residere in ea quæ intra urbem continetur. Ita casum hunc sæpius controversum resoluit Costropalaus tom. 2. tract. 13. d. 5. puncto 2. cum Garcia declar. 14. & Barbosa de officio Parochi part. 1. cap. 8. num. 9. & 10. qui referunt sic etiam decisum esse à Sac. Congreg. Concilij Tridentini.

Insuper addunt ex eadem Congregatione, si contingat duas Ecclesias ita videri pares, ut una præ alia neque sit dignior, neque frequentior, liberum esse Parochio pro sua residentia quam velit eligere.

QUÆSTIO X.

Quanam causæ Parochum à residendo excusent?
Respon-

Respondeo cum communi, Illas causas excusare Parochum, quæ Episcopos à residentia pro tempore excusant, quæ tamen debent à proprio Episcopo in scripto approbari, ut disponatur in Tridentino sess. 23. de reform. cap. 1. Sic tamen ut ovibus suis ita provideat, ut quantum fieri potest ex illius absentia nullum detrimentum accipiant.

Quatuor verò sunt causæ quæ solent excusare. 1. Christiana charitas, ut est juvare aliam privatam Ecclesiam, lites dirimere, odio componere &c. 2. urgens necessitas, ut est curatio sine ægritudinis, fuga hostium, aut alterius gravis injuriæ inferendæ. 3. Debita obedientia, ut si ipsi aliquod justum obsequium imperet Pontifex, ejus Legatus, aut Episcopus. 4. Utilitas evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ, ut si pro necessaria reformatione conferat se ad superiorem, vel Synodum &c. de quibus fufius Azor p. 2. l. 7. c. 4. & Barbosa supra cap. 8.

Extra causas prædictas Tridentinum Sess. 23. cap. 1. indulget Parochis, ut per duos sive continuos, sive interruptos menses possint abesse, etiam ad honestam animi relaxationem, modò illud fiat absque ullo gregis detrimento.

Q U Æ S T I O X I.

An attento novo Jure Tridentini, possint abesse Parochi studiorum causâ, ut olim licebat per quinquennium ex cap. fin. de Magistris &c.

Affirmant Navarras, Toletus, Valentia, & quidam alij. Sed probabilior apparet responsio negativa, nec Episcopum posse illam facultatem concedere. Quia absentia ex causâ studiorum, non videtur esse hoc tempore causâ gravis, cum Parochi,